

etiamsi moriatur concedens: nam quod rescriptum iustitiæ, quo jurisdictio contentiosa delegatur, cesset, si res adhuc integra moriatur delegans, est speciale. c. 20. c. 30. de Offic. delegat. quod non debet ad gratias extendi. *Suar. de Legib. lib. 8. cap. 31. n. 5.* Denique pro coronide præcipua privilegia Indis concessa, pro resolutione casuum hic occurrentium, apponam. Sic ergo Paulus III. in *Constit. Altitudo Kal. Jun. 1537. Super eorum (Indorum) matrimonii hoc observandum decernimus, ut qui ante conversionem plures, juxta illorum mores, habebant uxores, & non recordantur, quam primo acceperint, conversi ad fidem unam ex illis accipiant, quam voluerint, & cum ea matrimonium contrahant per verba de presenti, ut moris est. Qui vero recordantur, quam primo acceperint, aliis dimissis, eam retineant: ac eis concedimus, ut conjuncti, etiam in tertio gradu, tam consanguinitatis, quam affinitatis non excludantur à matrimonii contrahendis, donec huic Sanctæ Sedis super hoc aliud visum fuerit statuendum. Et circa abstinentiam ab illis suscipiendam statuimus, quod in Vigilia Nativitatis, & Resurrectionis D. N. Jesu-Christi, & omnibus sextis Feriis Quadragesimæ jejunare teneantur. Cæteros vero jejuniorum dies, eorum beneplacito propter novam ad fidem eorum conversionem, & ipsius Genis infirmitatem, permittimus. Eisque, etiam concedimus, quod Quadragesimalibus, & aliis prohibitis anni Temporibus, lactiniis, ovis, & carnibus, tunc temporis dumtaxat vesci possint, cum cæteris Christianis ob aliquod Sanctum opus obeundum similibus civis vesci posse à Sede Apostolica pro tempore fuerit concessum. Dies autem, in quibus eos volumus à servilibus operibus cessare declaramus esse omnes dies Dominicos, ac Nativitatis, Circumcisionis, Epiphania, Resurrectionis, & Ascensionis, ac Corporis ejusdem D. N. Jesu-Christi, & Pentecostes, necnon Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis Gloriosæ Dei Genitricis V. M. ac ejusdem B. Petri, & Pauli ejus Coapostoli. Cæteros dies festos ex causis supradictis illis indulgemus. Et insuper considerantes maximam ipsius Indiæ Occidentalis, & Meridionalis à Sede Apostolica distantiam: tam vobis (Aschiepiscopis, & Episcopis) qui in partem Apostolicæ solitudinis assumpti estis: quam illis, quibus super hoc vices vestras auctoritate per Nos vocis super hoc concessa specialiter duxeritis committendas omnes noviter con-*

verses prædictos in quibuscumque Sedis Apostolica reservati casibus etiam in litteris in aia Cæna Domini legi convenit (nihil nobis de illorum absolutiōibus reservatis) auctoritate Apostolica, injuncta eis patientia salutari, in forma Ecclesiæ consueta prout prudentia vestra videbitur expedire, absolventi plenam, & liberam à dicta Sedis beneplacito facultatem concedimus. De aliis Indorum privilegiis. *Vid. Allox. in Sum. V. Indi, sect. 2.* & alibi aliquid dicimus. Circa gratias à nostris Regibus Indis concessas. *Vid. Indicem R. Ind. V. Indios.* Ubi de hoc latè agit.

TIT. XXXIV.

De Purgatione Canonica.

303 **Q**uia sæpè contingit, aliquem infamari de aliquo crimine, quod non potest sufficienter probari, & non convenit delicta impunita manere, nec innocentem injustè infamiam pati, idèd fuit inducta purgatio Canonica, ut per eam, vel probatio compleatur, vel innocentia declaratur. Ecclesiæ enim in suis Ministris, nec suspicionem infamiam volens sustinere, eos suspectos, ad se purgandum compellit. c. 5. & seqq. 2. q. 5. *Gonz. in C. fin. b. t. n. 2.* Sicque potest definiti Purgatio Canonica est ostensio innocentie de objecto crimine juxta prescriptum Sacrorum Canonum facta. Olim fiebat 1. celebrando Missam, vel sumendo Eucharistiam, ut infamatus, sic ostenderet suam innocentiam: nam si conscientiam objecti criminis haberet non aderet in iudicium, & condemnationem Eucharistiam sumere. c. 23. 2. q. 5. ibi: *Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipse Abbas præcepit, presentibus fratribus, & sic expleta Missa omnes communicent in hæc verba: Corpus Domini sit nobis ad probationem hodie.* 2. Accusator, & reusjuramentum præstabant ad sepulchra, & reliquias SS. Martyrum. c. 6. c. 7. c. 8. 2. q. 5. 3. fiebat per iudicium S. Crucis, vel per sortes alteri jactas, quæ post varias preces extraherantur, vel per stationes nocturnas, & diu sine lapsu continuatas, vel per juramentum præstitum per Sanctam Crucem, vel Illam tangendo. *Gressor. L. 2. de Cruz. c. 16.* & quidem hic modus erat frequentior, & qui postea Sacris Canonibus fuit admissus. Sic juramentum præstat qui vult se purgare de crimine objecto. c. 5. b. t. præter ipsum purgan-

gandum debent jurare etiam super Evangelia compurgatores, seu testes ab ipso assignati. Et quidem horum juramentum non est de veritate, sicut est juramentum purgandi, sed de credulitate, scilicet jurant, se credere, quod purgandus verum juraverit, ac proinde innocentem esse, siquidem ipsi nequeunt alienam conscientiam videre. c. 5. b. t. Compurgatores debent esse personæ honestæ, & fidedignæ. c. 7. b. t. Si enim propter crimen sunt condemnati in iudicio repelluntur. c. 9. b. t. arg. c. 54. de Testib. Debent esse vicini purgandis. c. 11. b. t. vel si hos, quia sunt inimici, nolit assumere purgandus, debent habere notitiam de vita, & moribus purgandis. c. 10. b. t. ut ritè jurare possint. Hodie numerus compurgatorum arbitrio iudicis relinquitur attentis gravitate criminis, & infamiae, & personæ qualitate. c. 13. c. 19. 2. q. 5. imò, & omnino possunt compurgatores, omitti pro personæ qualitate, & levitate infamiae. Olim enim compurgatores debebant, si poterant haberi, esse ejusdem ordinis cum purgando. Sic Episcopus se purgabat 12. Episcopis arg. c. 19. 2. q. 5. Sacerdos 5. vel 7. Sacerdotibus. Diaconus tribus Diaconis adhibitis. arg. c. 10. c. 12. b. t. Etiam possunt Laici, & fœminæ admitti, si purgandus sit advena, qui testibus compurgantibus caret, & statur illius juramento de sua innocentia: sed simul adedere debet, se non potuisse compurgatores invenire.

304 Solum Judex, qui posset de crimine objecto cognoscere, potest purgationem indicere, siquidem hæc supplet probationum defectum, adeo, ut si eam indicat Judex incompetens pro nulla habeatur. c. 6. c. 10. c. 15. b. t. Si is, cui indicitur purgatio, injustè gravetur, potest appellare ad superiorem Judicis incidentis purgationem. Præterea non debet indici nisi eis personis, quarum fama, & bona existimatio populo Christiano custodiri expediat. Tales enim sunt Episcopi, & alii Prælati, Prædicatores, Sacerdotes Regulares, Moniales, imò, & Laici, si honesti, & fidedigni sint. c. 1. c. 3. b. t. c. 10. 12. q. 1. non inducitur Popularibus, vel vilibus personis, ob periculum perjurii: sed in his probationis defectus per torturam suppletur. Purgatio non est indicenda, quando innocentia plene probari potest, vel indicia sunt levia, & vana: tunc enim sine purgatione quis absolvendus est.

L. 4. C. de Edendo nisi forte pars aliquibus levibus indicibus laborans instet, quod sibi indicatur purgatio; nam tunc ob ejus importunitatem indicitur. c. 12. b. t. Nec indicitur, quando delictum est notorium. C. 15. b. t. quia hoc probatione non indiget, nec accusatione, ut puniatur. C. 9. de Accusat. ne quando infamatus potest convinci per testes, vel alias probationes. c. 2. c. 5. c. 8. c. 10. b. t. Indicitur ergo tantum purgatio, quando inveniuntur suspensiones, non leves, sed graves: non tamen adeo vehementes, ut delictum, vel innocentiam probent. L. 32. tit. 5. p. 1. ibi: *O si fure accusas, & non se podria averiguar por prubas.* Quia purgatio tantum in subsidium probationum est introducta. c. 4. c. 10. b. t. Debet etiam purgandus esse diffamatus publicè, non infamia juris, sed infamia facti, & quidem apud bonos viros, & graves. c. 15. b. t. Imò etiam si talis infamia oriatur à malevolis, ita ut scandalum generetur, quod purgatione possit cessare, indicenda est purgatio. Regularitèr tamen infamia à vanis suspitionibus, vel ab hominibus malevolis orta contemnitur; arg. c. 8. de Cohabit. Cleric. L. 32. tit. 5. p. 1. ibi: *E si fallaren tales señales, por que puedan sospechar contra el, entonce debenlo mandar que se salve, segun abvedrio de su Perlado mayor. Et ibidem Gregor. Lop. Aliquando indicitur purgatio etsi non præcedat infamia delicti, sed alia macula, vel impedimentum ad Ordines, vel beneficia obtinenda: v. g. defactus natalium. c. 14. b. t. Diffamatus de aliquo crimine si hoc depositione dignum sit interim ab officio suspenditur, donec se legitime purget. c. 2. b. t. ne in populo generetur scandalum. Si crimen sit grave, & permanens, qui scilicet habeat in domo fœminam suspectam ter moneri debet: & si ter monitus non respiscat, à beneficio etiam potest suspendi, cum valde conveniens sit, bonam opinionem personarum Ecclesiasticarum conservari. c. 6. D. 33. Si crimen, unico actu consumetur, ut homicidium, non est necessaria, nec servietur monitio, cum diffamatus non possit se emendare, sed statim poterit Judex ad suspensionem, & purgationem procedere. Purgatione ritè peracta ipse purgatus absolvitur à suspensione, si quæ ante purgationem inflata fuit ob infamiam, vel scandalum criminis objecti. c. 8. c. 10. b. t. ab objecto crimen absolvitur, & innocens declaratur. c. 6. 2. q. 5. & ad pristinum*

statum, & honores restituitur. c. 8. b. t. Sylv. V. Purgatio, n. 7. & com. DD.

305 Si reus in purgatione deficiat, vel quia ipse nolit jurare, vel quia non inveniatur vestes compurgatores, qui pro ipso jurare velint: cum jam illa suspicio, quæ contra ipsum erat transeat in vehementem præsumptionem, eo quod in purgatione defecisset, pro convicto habetur, & aliquando in foro Ecclesiastico proceditur ad poenam ordinariam. c. 7. b. t. Sylv. V. Purgatio. 7. Menoch. de Præsumpt. l. 5. præsumpt. 41. Farin. Præc. Crim. q. 86. in foro tamen sæculari non potest procedi ad poenam mortis: nam in probatione deficiens solum interpretativè non verè est convictus, & talis poena non imponitur, nisi de crimine constet probationibus luce Meridiana clarioribus. L. fin. C. de Probat. Diaz. Præc. Canon. cap. 152. Qui in purgatione fuit absolutus regularitèr non potest de novo accusari: tum quia de eodem delicto non sæpius est quaerendum. L. 6. §. fin. ff. Naut. Caup. tum ob auctoritatem juramenti, quod rei judicata æquivaler. L. 2. ff. de jur. jur. & res judicata pro veritate habetur. L. 207. ff. de Reg. jur. Si verò nova resultet infamia, nova accusatio potest fieri, & purgatio nova indicitur; imò & si nulla infamia de novo oriatur, potest in purgatione absolutus accusari, si accusator probet, illum pejerasse: vel si probet, primum accusatorem prævaricatum fuisse, vel si accusator prosequatur suam, vel suorum injuriam: siquidem accusatio potest repeti, quando absolutio non est ut in præsentia facta, per probationes integras. L. 31. ff. de Jurejurando, L. fin. tit. 7. lib. 4. R. C. ubi N. Rex mandat: Que nungun juramento, aunque el Juez lo mande hacer, ò la parte lo pida, no se haga en S. Vicente de Avila, ni en el herrojo de Santa Agueda, ni sobre Altar, ni sobre Cuerpo Santo, ni sobre las Reliquias del Cuerpo de San Lázaro de Leon, ni en otra Iglesia juradera, so pena de diez mil maravedis para la nuestra Camara, y Fisco al que jurare, y al Juez que lo mandare, y al que lo pidiere, y demandare. Jam fere nullus hodie est purgationis usus: sed ejus loco successit abjuratio. Casar. Carena de Offic. de Inquisit. ad Guid. Fulcod. q. 12. n. 6. Abjurare autem nihil est aliud, quam detestari cum juramento. Abjurant ergo Hæretici, vel de hæresi suspecti ad excludendam suspicionem, vel infamiam hæresis, detestando hæresim, de qua convicti, vel in-

dicati sunt, promittentes, se nunquam in idem lapsuros sub poena, quæ decernitur in jure contra hæreticos, & hoc cum juramento super Evangelia, si Christianus abjuret, vel supra veteri testamentum, si abjurat Judæus. Triplex est abjuratio pro triplici suspicionis specie, de levi, de vehementi, aut de violenta, præter quartam, quæ est de formali. Abjurare recusans habetur pro convicto, & Curia sæculari tradendus est, quando confessus, convictus, vel in hæresi manifestus deprehensus fuerit. Si verò solum sit suspectus, vel levitèr, vel vehementer, & noluit abjurare prius excommunicatur: quod si ster per annum in excommunicatione, tanquam hæreticus condemnatur. In Inquisitione Hispana abjuratur tantum de levi in pluribus casibus, in quibus in Romana de vehementi abjuratur, ut suis locis constabit Dian. in Sum. V. Abjurare.

TIT. XXXV.

De Purgatione vulgari.

306 VARIi modi se purgandi, & probandi innocentiam antiquitèr inter plures Nationes vigeant, qui nullo jure approbati, sed à vulgo erant inducti, & idèò vulgaris dicebatur talis purgatio. Diffamati ergo de crimine purgabantur. 1. Per judicium ferri candentis. Quæ purgatio sic fiebat: dictis enim Litanis, & aliis precibus, purgandum dabatur aqua benedicta ad degustandum, & postea ipse ferrum ignitum pedibus calcabat, vel in manibus portabat per decem passus: si lædebat, credebatur culpatus, innocens vero si illæsus manebat. Gonz. in C. fin. b. t. n. 5. 2. Per aquam ferventem: in quam diffamatus, dictis variis orationibus, & exorcismis, brachium usque ad cubitum immittebat: si lædebat, perpetrator delicti, si illæsus, innocens credebatur. Delvrio Disquisit. Magic. L. 4. cap. 4. q. 5. sect. 1. & 2. Gonz. in c. fin. b. t. n. 6. 3. Per aquam frigidam: aqua enim certò ritu consecrabatur, & in eam immittebatur purgandus ligatis manu dextra cum pede sinistro, & manu sinistra cum pede dextero. Si non mergebatur, credebatur delictum commississe, quasi & ipsa aqua illum respiceret, si verò mergebatur credebatur innocens. Gonz. in c. fin. b. t. n. 6. 4. Per Monomachiam. Et hic erat mo-

modus magis frequens innocentiam probandi. Accusator enim in certamen privatum descendere habebat ad veritatem suæ accusationis probandam: si in duello vincebatur accusator, credebatur innocens, qui de crimine accusatus fuerat. Si verò accusator vincebat adversarium, crimen censebatur probatum. Omnes hi modi sunt reprobati à Jure Canonico. c. 7. c. 20. c. 22. 2. q. 5. c. 1. & per tot. b. t. Siquidem redolent superstitionem Gentilicam, & cum dentur alii modi legitimi probandi crimina, vel innocentiam, non est recurrendum ad hos extraordinarios modos: nam Deus his probationibus adhibitis tentatur, ab eoque petitur temerè quod ignis contra ejus exigentiam naturalem non comburat. Præterquamquod est incertissimum judicium, quod ex his probationibus potest deduci. Sæpe enim ex Dei permissione in duello prævaler fortior, vel dexterior contra innocentem, vel non læditur aqua, vel ferro cadente, qui verè delictum perpetravit. c. 2. b. t.

307 Hinc enim est, quod si fortè aliqua sententia fuit lata ex purgatione reprobata non transit in rem judicatam. c. 2. b. t. utpotè contra Leges lata, etiam si ab ea non sit appellatum. c. 1. de Sent. & Rejudic. Sed retrahenda est, quoties de veritate constet; arg. C. 6. de Except. Imò Judex, qui tale medium adhibet ad proferendam sententiam, gravitèr peccabit, quia mediis illicitis utitur. Etiam fallax probatio est, quod ex cadavere hominis occisi, sanguis effluit ad præsentiam alicujus, ut hoc tantum indicio ille credatur occisor, cum hoc ex oculis causis proveniat, & sæpè ad innocentis præsentiam effluit. Non peccat qui ad innocentiam suam ostendendam, quia fortè injustè à Judice opprimitur, ad Dei Tribunal appellat, si hoc bono fine faciat, & non est vindicta, imò aliquando hoc potest deservire, ad consulendum famæ propriæ, & ad deterrendum iniquum Judicem. Sumpcio Eucharistiæ, & celebratio Missæ, quæ in Concilio Vormatiensi relato in c. 23. & in c. fin. q. 5. præscribatur ad occulta furta detegenda novis constitutionibus prohibetur. Similitèr est prohibita purgatio per vomeres ardentes, quæ olim in Ecclesia Gallicana vigeat præscripta in Concilio Mogutino relato in c. 24. 17. q. 2. Aliquando vero Deus hæc media ex speciali instinctu suis servis inspiravit. Sic David cum Goliath duellum commisit ad publi-

cam salutem populi Israel. 1. Reg. 17. Sic per aquas amarissimas probatur, an mulier adulterium commiserit. Num. 5. v. 18. Et in Lege Gratia pluries his mediis innocentia Sanctorum fuit declarata, ut de S. Conegunde Imperatrice, de S. Birgitta, & aliis constat ex Historiis.

TIT. XXXVI.

De Injuriis, & damno dato.

308 PRÆSENS rubrica duas continet partes: in prima de injuriis, in secunda de damno agitur. Injuria in genere dicitur, quidquid non jure, etiam sine culpa fit pr. Inst. b. t. In præsentia non sumitur injuria pro iniquitate, & injustitia, nec pro damno contra Legem Aquileam, sed pro contumelia, quæ in contemptum injuriati, & non sine dolo fit, quæ ita dicitur à contemnendo. Sicque solet definiti: Est delictum privatum dolo malo in alterius contumeliam commissum, quo scilicet, honor alicujus apud alios minuitur. Injuria potest fieri. 1. facto, vel gestu, quod scilicet, quis alterum verberat, vel lædit, vel aliquid in contemptum, vel in diminutionem famæ alterius facit. L. 5. L. 15. §. 27. ff. b. t. v. g. si cornua in ejus domo appendat, vel si quis domum alterius invadat. 2. scripto, si carmen, vel historia in alterius contemptum edatur, vel vulgetur. L. 5. §. 9. L. 15. §. 27. ff. b. t. Si nomine Authoris supresso, scriptura, in qua alicui crimen certum, & famosum obijcitur, in publicum spargatur: dicitur Libellus famosus. L. un. C. de Famos. Libell. 3. Verbo. Quando aliquis, sive præsens, sive absens appellatur fur, falsarius, spurius vel alius defectus sive morum, sive naturæ ipsi obijcitur. L. 15. §. 2. ff. b. t. L. 10. C. eod. Et hæc injuria dicitur convictum: Injuria ex variis capitibus atrox æstimatur, ut ait Justinus in §. 9. Inst. b. t. ibi: Atrox injuria æstimatur, vel ex facto, veluti si quis ab alio vulveratus sit, vel fustibus casus; vel ex loco, veluti si cui in Theatro, vel in foro, vel conspectu Prætoris injuria facta sit: vel ex persona, veluti si Magistratus injuriam passus fuerit, vel si Senatori ab humill persona injuria facta sit, aut parenti, patronovè fiat à liberis, vel libertis. Aliter enim Senatoris, & parentis, patronique, aliter extranei, & humilis persona injuria æstimatur. Numquam, & locus vulneris atrocem injuriam

niam facit; veluti si in oculo quis percussus fuerit. Parvi autem refert, utrum Patrifamilias, an filiofamilias talis injuria facta sit; nam & hæc atrox injuria estimabitur. Injuriam facere possunt omnes, & soli illi, qui sunt doli capaces, nam injuria in animo, & affectu facientis consistit. L. 3. §. 1. ff. h. t. L. 5. C. h. t.

309 Injuriam non faciunt, nec actione injuriarum tenentur, etsi aliquid injuriosum facere videantur. 1. furiosi, infantes, & intertia proximi L. 3. §. 1. ff. h. t. Ebril, qui injuriam faciendam in ebrietate non prævidentur; arg. c. 7. 15. q. 1. dormientes arg. Cl. in. de Homic. in his enim deest dolus, & animus, qui ad injuriam requiritur. 2. Qui in judicio accusati excipiunt, & probant, testem esse falsum, vel infamem. L. 18. ff. h. t. L. 5. C. de eod. Nam qui suum jus prosequitur nemini facit injuriam. L. 55. ff. de Reg. jur. similiter ab injuria est immunis, qui in judicio detegit alterius crimen, etiam occultum, si Reipublicæ interest tale delictum detegi. Si vero nihil interest Reipublicæ, non debet detegi alterius crimen, quantumvis verum sit, si adhuc est occultum, nec ab injuria excusatur sic detegens: nam lædit alterius famam injuxta, ad cujus conservationem alter jus habet, dum occultum est delictum. Clar. V. Injuria, n. 17. Covar. Var. 1. cap. 11. n. 6. & alii com. Etiam ex defectu animi injuriandi omnino immunis ab injuria est ille, cui aliquid convitium, vel injuria verbalis dicitur; si ad se defendendum in continentem, si est præsens, vel si est absens, cum primum ad ejus notitiam venerit, retorsione utatur dicendo, injuriantem esse mendacem; arg. L. 2. §. 42. ff. ad S. C. Tertull. nam vim vi repellere licet, L. 3. ff. de Just. & jur. & cum amissio famæ sit gravior amissione oculorum. L. 8. C. de Decur. etiam per retorsionem potest defendi, dum tamen moderamen inculpatæ tutelæ servetur: nam hoc etiam servari exacte debet. Quippe illicitum est in publico retorquere, quando injuria fuit privatum facta, nec pro injuria levi, gravis retorquenda est. Denique non licet retorquere, quando illa retorsio non dimittit injuriam illatam: nam tunc non deservit ad defensionem, sed ac vindictam, ac proinde, sic retorquens de injuria tenetur: mitius tamen punitur, quia difficile est justum animi temperare dolorem. 3. Nec Magistratus injuriat sententiam in dispendium famæ rei juxta

Leges proferendo: nam ob bonum Reipublicæ non animo injuriandi hoc fit. L. 33. ff. h. t. Si verò Judices, ordine juris non servato, aliquid decreverint, injuriam inferunt. L. 32. ff. h. t. 4. Pater vel Magister, qui aliquid facit in contemptum filii, vel Discipuli animo illum corrigendi, non injuriandi, non tenetur hac actione. L. 5. §. fin. ad L. Aquil. 5. Concionator, qui in genere reprehendit vita illius civitatis, vel populi. Si enim in particulari, aliquem reprehendat, injuriam infert; arg. L. 32. ff. h. t. 6. Astrologi, vel Physiognomici, qui ex aspectu Astrorum, vel ex lineamentis corporis dicunt, aliquem, qui ipsos consulit, esse malevolam, &c. L. 15. §. 12. ff. h. t. nam volenti non fit injuria. 7. Si quis per jocum aliquid injuriosum dicat, vel faciat L. 3. §. 3. ff. h. t. & quidem si dictum, aut factum ex se non appareat injuriosum, incumbit acusanti probare animo injuriandi esse dictum, vel factum, quia contra eam stat præsumptio. Si verò dictum, vel factum ex se injuriosum appareat, ei qui dixit, vel fecit, incumbit probare, se jocandi animo fecisse: quia contra ipsum ex natura verbi, vel facti stat præsumptio. L. 5. C. h. t. Tales autem probationes per conjecturas fiunt: quin & per juramentum ejus, qui dixit talia verba, Si nihilominus adhuc dubium sit de animo vel animi defectu, officio Judicis debet componi: cum delicta non præsumantur, nisi probentur. L. 51. §. Pro socio. Si dictum, vel factum sit certò injuriosum, quia alapam quis alteri impingat, vel furem appellet, non excusat ab injuria præfatio honoris, vel protestatio, quod non fiat animo injuriandi, sive antecedit, sive subsequatur injuriam: nam protestatio est contraria factio, ac proinde non prodest, nec potest se facientem ab injuria excusare.

310 Injuria potest committi directè, quando scilicet fit immediate, contra personam injuriam & potest indirectè alii resultare, quando scilicet, non propria persona, sed in aliis valde conjunctis, injuriam quis patitur, dummodo hæc, dum fit, aliquem respectum dicat ad alias personas, secus aliter. Sic potest injuriarum agere. 1. Pater ob injuriam factam filio in ejus potestate existentis secus, si emancipatus sit. L. 15. §. 3. ff. h. t. 2. Maritus pro injuria uxoris: secus uxor pro injuria mariti: nam maritus uxorem debet defendere, non uxor ma-

ritum L. 2. ff. h. t. 3. Dominus pro servo in ejus servitio occupato. L. 15. §. 48. ff. h. t. 4. Episcopus pro sua Ecclesia, vel Clerico sibi subiecto. Prælati Regulares pro suo Monasterio, & pro Religiosis suis subditis; dum aliquomodo in contemptum Religionis injuria cedat. Gomez 3. Var. cap. 6. n. 6. imò, & pro Novitio etiam possunt agere; arg. c. 21. §. 1. de Sentent. excom. in 6. Frater pro fratre, multoque minùs alii cognati, non possunt injuriarum agere pro injuria cognatis facta; cum tales personæ non exprimentur injure, arg. L. 12. ff. de Judic. Perez in Cod. h. t. n. 12. Insuper injuria potest committi contra quemcumque hominem, etiam rationis usu destitutum, quin etiam contra defunctum, quia omnes, etiam post mortem, habent jus ad honorem, & famam. L. 1. §. 4. L. 3. §. 1. ff. h. t.

311 Pro injuria autem potest agere injuriatus, vel civiliter, petendo suam privatam satisfactionem: vel criminaliter, publicam vindictam intendendo. Sed cum utraque actio poenalis sit, & nullo delictum bis debeat puniri. L. 14. ff. de Accusat. hinc injuriato est liberum agere, quæ ex his voluerit actionibus: una tamen intentata, altera perit. Actio civilis, ex Jure Civili oritur: ex Lege scilicet Cornelia, qua injuria realis vindicatur; v. g. si quis verberetur, vel ejus habitatio per vim introeat. L. 5. ff. h. t. Hac actione agitur ad estimationem injuriæ à Judice faciendam, vel ad poenam pecuniariam applicandam fisco, vel ad poenam afflictivam corporis. Alia ex Jure Prætorio provenit, competitque injuriato directè, vel etiam indirectè in persona conjuncta. L. 1. §. 3. ff. h. t. Ea que agit injuriatus, ut sibi poena pecuniaria; v. g. 100. aureorum, quorum jacturam moluisset pati, quam contumeliam sustinere, applicetur. Judex tamen eam taxationem ad minorem summam redigit; v. g. ad 80. aureos, & jubet eos restitui. Hac actio est personalis, & famosa siquidem infamem ea condemnatum facit. L. 7. ff. h. t. non datur contra hæredes injuriantis, quia poenalis est, nec hæredibus injuriati, quia vindictam sapit, quam moriens remississe creditur. L. 13. L. 15. §. 14. ff. h. t. Quando alicui est facta injuria, vel verbo, vel scripto contra ejus famam, vel existimationem, consuetudo introduxit actionem ad Palinodiam, scilicet, ut injurians retractet diceria famosa contra

injuriatum prolata, & in judicio fateatur, se male ac protulisse. L. 2. tit. 10. lib. 8. R. C. Et hæc est actio personalis, utpotè ex delicto descendens, & rei persecutoria, qua injuriatus prosequitur, quod sibi deest, videlicet existimationem. Et ideò, etiam ejus hæredibus competit, non tamen contra injuriantis hæredes, cum ex delicto descendat: potestque cumulari cum actione injuriarum ad estimationem: nam cum hæc actio ad recantandam palinodiam, sit rei persecutoria, non excludit actionem ad estimationem, quæ est poenalis, & tendit ad diversum finem. §. 1. Inst. Si quadrup. pauper. Justus recantare palinodiam non contrahit infamiam juris, cum nullibi sit expressa, aliaquam tamen infamiam facti contrahit, cum apud viros graves indecorum sit, se mendacii arguere.

312 Si criminaliter pro injuria agatur, imponitur de Jure Civili poena corporalis, vel pecuniaria applicanda fisco, vel alia arbitrio Judicis. Similiter de Jure Canonico est arbitraria: at verò quæ cardinalem percutit, vel persequitur hostiliter, tanquam reus læsæ Majestatis punitur. c. 5. de Pœnis in 6. Eadem ferè poena infligitur in persecutorem, vel percutientem Episcopum, Cl. 1. eod. Quæ in Clericum, vel Monachum injuriosè violentas injicit manus ipso facto excommunicatur. c. 29. 17. q. 4. Libellum famosum componens, vel ab alio compositum vulgans, quo crimen capitale alicui, sive verè, sive falso imputatur, etiam si Reipublicæ expedit, illud detegi, est dignus poena capitali. L. un. C. de Famos. Libell. L. 3. tit. 9. p. 7. & ibid. Gregor. Lopez. Actio injuriarum tollitur 1. si injurians satisfaciat injuriato pacto, vel translatione inter eos interveniente. L. 11. §. ff. h. t. vel si injurians juret, se nihil animo injuriandi dixisse, vel fecisse. L. 5. §. 8. ff. h. t. 2. Si injuriatus injuriam remittat, vel expressè, vel etiam tacitè, injuriam contemnendo, vel post offensionem instaurando antiquam amicitiam cum injuriante. L. 11. §. 1. ff. h. t. & licet pater, vel Prælati possint injuriam factam filio, vel Religioso ipsis ignorantibus, & invitis, remittere L. 17. §. 12. ff. h. t. non tamen è contra, possunt filius, vel Religiosus, invitis Patre, & Prælato, injuriam sibi factam condonare. Clar. V. Injuria, n. 10. Non potest pater remittere injuriam factam filio, si hic sit eminentioris conditionis. Deinde non

non valet infamatus injuriam condonare, quando ea in aliorum præjudicium, & infamiam redundat, vel si vir injuriatus sit valde gravis, ita ut ejus fama sit necessaria ad publicam utilitatem. Nec Religiosi possunt injuriam condonare, quando in suæ Religionis infamiam, & detrimentum redundet: nam ut ait *D. August. in c. 10. 12. q. 1. Dne res sunt conscientia, & fama: conscientia necessaria est tibi: fama proximo tuo, qui fidens conscientie sua negligit famam suam, crudelis est.* 3. Retorsione censetur injuriato satisfactum. 4. Tam morte injuriantis, quam injuriati ante litem contestatam, actio injuriarum, quatenus poenalis est, finitur, neque hæredi, neque in hæredem datur. *L. 13. ff. b. t. 5.* Prescription cessat. Et quidem actio criminalis est injuria verbali descendens, anno elapso intentari nequit. *L. 5. C. b. t.* Actio descendens ex libelo famoso, vel ex injuria reali, est perpetua. Similiter actio Civilis ad recantandam Palinodiam, & solium 30. annis finitur. Etiam elapso anno, vel mortuo injuriante, vel injuriato datur actio ad repetendum damnum ex injuria ortum, imò, & actione non intenta tenetur injurians, vel ejus hæredes damnum ex injuria ortum compensare; *arg. C. fin. de Sepult. c. 5. de Raptor.* Nunc ad secundam Rubricæ partem de *damno dato* progrediamur.

313 *Dammum* sic dicitur à diminutione, vel ademptione patrimonii. *L. 3. ff. de Damm. infect. L. 1. tit. 15. p. 7.* In præsentī sumitur, non pro damno, ex quo illud facienti lucrum resultat, ut fit per usuras, vel furtum: nec pro damno, quod à bruto fit, nam tunc dicitur *pauperies*, sed pro damno, ex quo homini illud causanti nullum commodum accrescit, se tantum res aliena deterioratur, corrumpitur, vel omnino destruitur, v. g. Si quis aedes, vel segetes alienas comburat, vestimentum laceret, vel vinum effundat. *L. 27. §. 15. & 25. ff. ad Leg. Aquil. Si vero quis alienum vestimentum induat, vel ebibat vinum, vel aliter damnum in re salva, & integra faciat, non est reus Legis Aquiliæ. L. 27. §. 25. L. 30. §. 2. ff. ad Leg. Aquil. Damnum hoc potest fieri, vel dolo, vel culpa, vel casu fortuito. Dolo, si animo nocendi fiat: quod si de eo animo per confessionem partis, vel aliis indubitatis indicis constet; dicitur dolus verus, seu apertus: si verò indicia sint tantum verisimilia, dicitur dolus præsumptus.*

Et hic quidem ab aliquibus dicitur culpa latissima, & latior. Culpa damnum fieri dicitur, quando hoc aliqua adhibita diligentia potuisset impediri. Culpa autem alia est *Theologica*, juridica alia. *Theologica* est peccatum, seu offensa Dei. *Juridica* est omisso diligentia debita, ex qua aliquod incommodum sequitur. Culpa, prout utramque speciem continet, sic gradatim ascendit. 1. Est *levissima*, quando scilicet omittitur diligentia exactissima, v. g. si clauso cubiculo non examinasti, an sit benè clausum, & re ipsa apertum permansit. 2. *Levis*, quando omittitur diligentia exacta, quæ à providentioribus solet adhiberi; v. g. si in cubiculo non clauso reliquisti librum. 3. *Lata*, quæ positivam negligentiam continent, quando scilicet omittitur diligentia, quam communiter homines solent adhibere; v. g. Si librum extra cubiculum relinquant. Et prædicti gradus culpæ juridicæ annumerantur. 4. Est *latior*, quæ dolus præsumptus dicitur, cui etiam ignorantia juris annumeratur; v. g. si librum in domo furis relinquant. 5. *Latissima*, quæ in dolo aperto consistit; v. g. si librum tibi commodatum des furi, non dicens expressè, intendens tamen, ut illum furetur. Hæc autem culpa dicitur calliditas, quando solo animo fit fallacia, quando verbis mendacibus: fraus, seu falsus, dolus quando factis: machinatio, si arte verborum sine mendacio fiat. Denique casus fortuitus est, qui nullo consilio humano prævideri, nec vitari potest; v. g. naufragium ex tempestate, vel incendium ex fulmine, vel ruina ex terræmotu proveniens. *C. fin. de Homic. L. 2. §. 7. ff. de Admin. rerum ad Civit.*

314 Aquilius Tribunus persuum plebiscitum damnum non lucrosum vindicavit, & hinc est orta Lex Aquilia, quæ tres continet actiones: alia est *directa* ex verbis Legis descendens, & competiti, quando damnum factum est corpore, & in corpus, ut si quis manu occidat alterius animal. Alia est *utilis*, quæ menti Legis est conformis: & competiti, quando damnum in corpus est factum, sed non corpore, ut si quis, alterius equum fame occidat. *L. 4. tit. 15. p. 7.* Alia denique est *in factum subsidiaria*, quæ neque ex mente, neque ex verbis Legis oritur, sed ob singularem æquitatem recepta fuit à Prætoribus: ut si quis misericordia ductus alienum servum compeditum solverit, ut fugeret. *§. fin. Inst. de Lege Aquil.*

Aquila L. 8. tit. 15. p. 7. Damnicatus intentans actionem Legis Aquiliæ petere potest reparationem homini, sive hoc consistat in occisione servi, vel animalis gregatim pascentis: quod primo capite Legis vindicantur. Sive consistat in corruptione, vel destructione rei inanimatæ, sive in vulneratione servi, vel animalis gregatim pascentis, vel in occisione animalis non gregatim pascentis: quod tertio capite Legis Aquiliæ continetur, & quidem debet damni reparationem petere secundum præsentem rei æstimationem, & valorem: sic interpretante præxi communi, licet olim æstimaretur, non secundum tempus, quo damnum fuit causatum, sed quanti plurimi valuit res intra annum, si ex primo capite Legis agebatur, vel intra 30. dies si agebatur ex tertio. *§. 9. Inst. de Leg. Aquil. L. 18. tit. 15. p. 7.* Si reus inficiabatur, seu negabat, sed damnum causasse, & convinceretur mendacii, actio in duplem dabatur. *L. 2. §. 1. ff. ad Leg. Aquil. L. 16. tit. 15. p. 7.* Etiam poterant peti expensæ factæ in vulneris curatione, & æstimatio, operarum, quibus damnicatus privabatur ob damnum acceptum; vel si aliud lucrum fuit cessans, vel damnum emergens. *c. 1. b. t. Gonzal. ibid. n. 3. Farin. Præx. Crim. q. 119. & alii com. v. g.* Si virgo ob deformitatem nuptias cum divite non contraxit: alias ob deformitatem nihil solvitur: nam corpus liberum æstimationem recusat. *L. 3. ff. Si quadrupes pauperiem.* Etiam repetit damnicatus expensas in lite, ob lesionem factas, etiam si jurasset statutum super non repetendis damnis: nam in significatione propria expensæ damnorum nomine non veniunt. *c. 8. b. t. Non tamen tenetur ex Lege Aquilia, qui ob defectum judicii, licet damnum faciat, nec dolum, nec culpam committit: ut feriosus, infans, amens, vel mente captus. L. 5. §. 2. ff. ad Leg. Aquil. ibi: Cessabit Aquilia actio quemadmodum si quadrupes damnum dederit. L. 3. tit. 15. p. 7.* 315 Actio Legis Aquiliæ habet locum, non solum, quando damnum provenit ex dolo nocentis, sed etiam, quando intervenit culpa etiam levissima. *L. 44. ff. ad Leg. Aquil.* nisi forte ex natura contractus culpa levissima non sit præstanda. Sic depositarius, nec conductor præstare tenetur damnum culpa levissima constitutum in re deposita, vel locata: nam Leges in talibus contractibus excusant à tali culpa. *Ita Covar. de Matrim. p. 2. c. 6. Tom. II.*

§. 8. *Molin. de Just. tr. 2. D. 687.* Reus igitur hujus delicti est quicumque alterum lædit, sive per negligentiam, incuriam, imperitiam, aut omissionem: vel suo mandato, ope, vel auxilio est causa damni: secus si tantum consilium dedit, vel ratum habuit postquam jam damnum erat causatum. *Ut Greg. IX. in C. fin. b. t. ait: Si culpa sua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua, idè negligentia evenerunt, jure super bis satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel facturam.* Qui verò diligentiam omnem adhibuit, ad vitandum damnum, etiam si hoc tunc sequatur, ex Lege Aquilia, non tenetur. *C. fin. b. t.* Nec qui jus suum prosequitur; v. g. Si quis timore proximi incendi adem vicini demolitur. *L. 12. tit. 15. p. 7.* Nec quis damnum casu fortuito eveniens tenetur compensare, quia cum ibi non sit culpa, nec poena debet admitti, nisi forte res aliena casu perit apud eum, qui jam in mora restituendi erat constitutus, vel si ex conventionem in se casum fortuitum suscipit: tunc enim ad compensandum damnum, etiam, in conscientia obligatur. *C. un. de Comod.* Hinc sunt resolutiones sequentes. *Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non aperuerit eam, occideritque bos, vel ainus in eam, Dominus cisternæ reddet pretium junctorum: quod autem mortuum est, ipsius est.* *Exod. 21. v. 33. Relat. in c. 2. b. t. L. 7. tit. 15. p. 7.* Si bos alienus cornu peta fuerit ab heri, & nadius tertius, & non custodivit eum Dominus suus, reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet. *Exod. 21. v. fin. Relat. in c. 3. b. t.* Idem est de Leone, Urso, Lupo, & aliis bestiis, quæ fera sunt sua natura. *L. 23. tit. 15. p. 7.* Item, si levisit quisquam agrum, vel vineam, & dimiserit jumentum suum, ut depascat aliena, pro damno æstimationem restituet. *Exod. 22. Relat. in c. 4. b. t.* Si egressus ignis comprehenderit aerovs fragum, sive stantes segetes in agris reddet damnum qui ignem succenderit. *Exod. 22. c. 5. b. t.* Si quis enim ad comburendum spineta, vel arbusta quincendium faciat, debet cavere prædictis vicinis damnum inferat, ac proinde non debet incendium facere prope paleam, vel ligna arida, vel in die ventoso: alias de damno tenetur. *L. 110. tit. 15. p. 7.* Medicus, qui servum alienum male secuit, vel perperam medicamentum dedit,

vel etiamsi bene secuit, illum dereliquit: in utroque casu reus erit, & tenetur ex Lege Aquilia, si mortuus est servus. §. 6. & 7. *Inst. de Leg. Aquil.* Idem est de Chirurgo, & Veterinario, *Hispane. Alibeytar. L. 9. tit. 15. p. 7.* Nullo quoque, qui propter imperitiam non potuit mulas retinere, imò etiamsi propter infirmitatem retinere non possit, cum alius firmior, eas potuisset retinere, si earum impetu servus alicuius fuit oppressus, reus culpa est. §. 8. *Inst. de Leg. Aquil.* Si putator ex arbore dejecto ramo prope viam publicam, vel vicinalem servum transeuntem occiderit, si non proclamavit, ut casus posset evitari, reus est culpa: secus si proclamavit, ut casus posset evitari: tunc equidem non est reus culpa: quin etiam, si non proclamasset est liber à culpa, si cadebat in medio fundo, vel seorsum à via, quia in eo loco nulli extraneo jus erat versandi. §. 5. *Inst. de Leg. Aquil.* Si miles in campo, ubi solum est exercitatus, servum alienum trajecerit, liber est à culpa: secus est, si alius hoc ibidem faciat, vel etiam miles in alio loco. §. 4. *Inst. de Leg. Aquil. L. 6. tit. 15. p. 7.* Si verò homicidium, vel quid aliud ex errore proveniat, est omnino à culpa, ut involuntarium, immune. Sic Acteon excusatur, quando Dianam vidit: *At bene, si queras, fortuna crimen in illo non scelus, inveniens: quod enim scelus error habebat.*

316. Non solum in foro externo, sed etiam in interno, tenetur damnificans compensare damnum dolo, vel culpa theologica causatum. Siquidem hoc est contra justitiam commutativam. *D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 1. in corp.* ubi restitutio actus dicitur commutativè justitiæ, quando scilicet, res unius ab alio habetur, vel per voluntatem ejus, sicut in mutuo, vel deposito, vel contra voluntatem ejus, sicut in rapina, vel furto. Quando verò damnum ex culpa merè juridica, etiam lata resultat, non datur obligatio in conscientia ad illud recompensandum: nam cum ex inadvertentia procedat, se habet tanquam casus fortuitus, nec magis voluntarium censetur, quam si fortè, ab infante, vel a mente causaretur. Neque enim ex Jure Naturali nascitur hæc obligatio, cum damnificans nec ex re accepta teneatur, quia nullum lucrum est consecutus, nec ex acceptatione injusta, siquidem inadvertenter fuit facta acceptio, ac proinde ne-

quit injusta dici: nec enim in foro conscientie obligatur ad restitutionem propter injuriam, qui in foro conscientie non commisit injuriam, nec ex Jure Civili oritur similis obligatio: nam cum non constet, Leges velle in conscientia obligare, sed hoc valde dubium sit, benignior sententia ab obligatione excusans præferri debet. *L. 56. L. 192. §. 1. ff. de Reg. jur. nec in dubio est imponenda obligatio. L. 47. ff. de O. & A. Innoc. in c. 6. de Homic. Less. de Just. & jur. L. 2. cap. 7. ex n. 24.* qui dicit, solum dari obligationem restituendi in conscientia, quando culpa lata est peccatum mortale, adeò ut si tantum veniale sit, nulla detur obligatio in conscientia restituendi, nequidem sub veniali: post sententiam vero Judicis condemnantis ad compensationem damni, etiamsi hoc ex culpa merè juridica resultet, in conscientia obligatur damnificans compensare, alias inutilles essent Leges: neque satis consulere- tur juri privatorum in suarum rerum custodia, & indemnitate. *Molin. Lavroix. lib. 3. p. 2. ex n. 170. & alii contra Reb. lib. 3. p. 2. ex n. 170.* & alii contra Reb. sed cum culpa solum debeat suos Authores non innocentes tenere. *L. 22. C. de Pœnis pignoratitias, seu repræssalia,* quando scilicet una persona, vel res capitur pro delicto, aut debito alterius, illicitè, & contra Jus Naturale sunt: ac proinde nulla consuetudine, quæ potius erit corruptela, cohonestari possunt. *C. in h. t. in 6.* Si verò aliqua Respublica, quæ alii damnum intulit, postquam requisita est, damnum compensare injustè recuset, preterit Princeps, qui damnum passus est tales repræssalias ad compensandum præcissè damnum indicere, non causæ privata vindictæ: sicut posset bellum gerere. *c. 2. 23. q. 2.* etiamsi per accidens innocentes in suis bonis pariantur: nam postea pro damni reparatione contra Authores criminis, aut debiti agere possunt. Sed licet aliquando ex causa publica tales repræssalia indicantur non comprehendunt Ecclesiasticos, nec illorum bona: si tamen aliqua persona particularis eas indicat in Ecclesiasticos ex communicationem incurrit. Si verò eas Universitas indicat Ecclesiastico, subjacet interdicto, nisi intra mentem revocent concessionem, vel extensionem. *C. in h. t. in 6.*

317. Huc possunt reduci aliæ obligationes, quæ ex quasi delicto nascuntur ad repetendum damnum, quod tamen sine alicujus culpa causatur. Sed

quia tales obligationes non proveniunt ex contractu, neque ex delicto, & qui obligatus est aliquid peccasse, licet per imprudentiam, censetur, ex quasi delicto oriri dicuntur, & quidem 1. Judex, si vè pater, si vè filiusfamilias sit, qui male judicavit per errorem, imprudentiam, vel ignorantiam, quia culpabilis est, in eo quod non magis studuerit, vel diligentius rem discussisset, laso debet restituere quantum judicaverit superior Judex. *Princ. Inst. de Oblig. qua est quasi delict.* 2. Qui in aliqua domo, si vè propria, si vè aliena habitat, si vè patrefamilias sit, si vè filius, qui seorsim à patre habitet ex quasi delicto obligatur, si ex ejus domo aliquid ejectionem, vel effusum sit, etiam per culpam servi, vel filii, quod transeunti nocuisset: & datur actio ad duplum damni dati repetendum, si læsio in rebus pecunia astimabilibus contigit: si verò homo liber est vulneratus, datur actio ad recuperandas impensas curationis, & operas cessantes: si homo liber mortuus est actio est popularis, & actori 50. aurei sunt solvendi. *L. 1. ff. de bis, qui effuder.* 3. Si quis ea parte, qua vulgo iter fieri solet, id positum, aut suspensum habet, quod potest, si ceciderit alicui nocere, contra eum, qui rem suspendit, datur actio in factum pro 10. solidis, vel aureis solvendis; quod si illud cadat, & damnum facit in duplum damni tenetur, qui rem ibidem possuit: quod si hominem occidat, tenetur quinquaginta solidos auri solvere. *L. 26. tit. 15. p. 7.* 4. Exercitor navis, aut cauponæ, aut stabuli de dolo, aut furto, quod in navi, aut cauponæ, aut stabulo factum erit, quasi ex maleficio teneri videtur: si modo ipsius nullum est maleficio, sed alicujus eorum, quorum opera navem, aut cauponam, aut stabulum exerceat; tunc enim contra eum, quia opera malorum hominum utens aliquatenus est culpabilis, competit actio in factum actori ad duplum damni recuperandum. *L. fin. ff. Naut. caupon.* quæ heredi quidem datur: adversus heredem autem non competit, §. 3. *Inst. de Oblig. qua ex quasi delict.* Dominus etiam cujus servus damnum, vel animal pauperiem, seu nocumentum fecerit aliquomodo culpabilis est, quia non sufficienter præcavit damnum illatum; ac proinde, si actione noxali conveniatur, in ejus arbitrio est, servum, vel animal noxæ dare, hoc est, quod ipsum animal, vel servum in damni

compensationem det, vel quod aliter damnum resarciat laso, vel ejus heredi. Si tamen neget suum esse animal, quod nocuit, tunc electionem amittit, & præcise tenetur damnum compensare. *L. 1. ff. de Noxalib. act. L. 22. tit. 15. p. 7.* Non tamen potest damnificatus occidere animalia aliena in suo agro deprehensa: nam eorum Dominus innocens pateretur damnum. *L. 24. tit. 15. p. 7. ibi: Defendemos, que lo non mate, nin lo lisse, nin lo fiero, nin lo encierre, nin lo faga mal ninguno, mas que lo saque ende, & de si demande delante del Juegador enmienda del daño.* Qui ex quasi delicto, vel actione noxali, vel de pauperie est obligatus non tenetur in conscientia ad damni compensationem ante Judicis sententiam, secus post illam: sicut qui tenetur ex damno ex sola culpa juridica proveniente, & quidem excusatur à tali obligatione si remittat damnificatus, vel aliunde hoc damnum compensavit, vel si nequeat damnificans compensare ob paupertatem sine damno boni ordinis superioris, quæ obligatio, durante impedimento suspenditur, eo tamen ablato, reviviscit.

318. Magistri Navium, seu Naucleri: *Hispanè: Pilotos,* tenentur de naufragio, quod ob illorum ignorantiam in arte contigit, vel si à via recta declinarunt, & transierunt per loca periculosa, vel si navigaverunt tempore, quo tempestas, vel adversi venti vigeant, vel si aliquid contra mandatum, & instructiones fecerunt, vel si tempore, quo debuerunt navigare in ancoris steterunt, ita ut de culpa levissima ob summam vigilantiam, quæ requiritur teneantur. Etiam Navarchi, *Hispanè: Capitanes,* tenentur de naufragio, quod ipsorum culpa, vel omissione evenit, vel si Navis mercibus valde onerata est: vel si est destituta fulcimentis necessariis, ut velis, malis, vel armis. Et quidem eorum culpa juxta instructionem examinanda est: siquidem non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit. *L. 199. ff. de Reg. jur. De quibus latè agitur in L. 1. L. 9. tit. 9. p. 5. & tit. 35. & 36. lib. 9. R. Ind. & Greg. Lop. in L. 26. tit. 8. p. 5. V. Culpa Hevia Bolaños, lib. 3. Comerc. Naval. cap. 12. & 13. Veytia Norte de la Contrat. lib. 2. cap. 1. & cap. 8.* Quando imminet tempestas, vel naufragium, quilibet potest propria autoritate merces navis in mare projicere ob commune bonum totius navis, & ob vitam navigantium: sicut potest

quis vicinas aedes incidere, ignis arden-
dis causa. Merces ita jacta non habentur
pro delictis, sed manent in suorum do-
minorum dominio: quod si percant, pec-
riculum est commune, sic aequitate dic-
tante. L. 1. ff. ad Leg. Rbod. de Jactu ibi:
*Lege Rhodia cavetur, ut si levande navis
gratia jactus mercium factus est, omnium
contributione sarciantur, quod pro omnibus
datum est. L. 5. L. 6. tit. 9. p. 5. L. 10.
tit. 10. lib. 7. R. C. ibi: Todos los que an-
duvieren en el Navio sean tenidos de pagar
cada uno, segun la cantidad de lo que tra-
xeren en el Navio; si no traxeren sino sus
cuerpos, no sean tenidos de dar cosa alguna.
Hevia Bolaños, Comerc. Nvo. L. 3. cap. 13.*

TIT. XXXVII.

De Pœnis.

319 **S**I homines non declinasset à
via recta, per quam juxta
Legum præscripta ambulare debent, sup-
perfluum omnino foret, & pœnas impo-
nere, & de pœnis agere, sicut de ætate
aurea canunt Poeta: *Aurea prima sata est
ætas, quæ vindice nullo, sponte sua sine
Lege fidem, rectumque colebat: pœna, me-
tusque aberant.* Sed cum verè simus infer-
rea ætate = *Fugere pudor, verumque; fidesque
est: in quorum subire locum fraudesque,
doli que, insidiaque, & vis, & amor sceleratus
habendi.* Hinc fuit necesse supplicia,
& tormenta, & pœnas stabilire, ut
quos non allicit amor, coëreat timor.
Pœna ergo à pendendo dicta est, quia olim
pœnæ ferè semper in pecunia consistebant,
teste *Nebrissensi*, sed nunc in tota
sua latitudine, sic definitur ab *Augustino*
in cap. 4. de Pœnit. D. 3. *Est lasio, quæ
punit, & vindicat, quæ quisque commisit,
vel clariùs, est emendatio, coërcitio, vel
satisfactio pecuniaria, aut corporalis delictorum,
quam possunt infligere Judices, ut puniant
delinquentes, & alii terreantur.* L. 1. tit. 31. p. 7. & idè in L. fin. tit. 31. p. 7. dicitur: *Paladinamente debe
ser fecha la justicia de aquellos, que hobieren
fecho porque deban morir; porque los
otros, que lo vieren, ó lo oyeren, reciban ende
miedo, ó escarmiento, diciendo el Alcalde, ó
el pregonero ante las gentes los yerros por que
los matan.* Nam publicè expedit, delicta
debito cruciati puniri. L. 51. §. 2. ff. ad
Leg. Aquil. imò sunt quadam culpa, (ait
Innoc. III. in cap. 1. de Postulat. Prelat.) in
quibus culpa est, relaxare vindictam. Pœna

ergo in tota sua latitudine comprehendit
1. Pœnas medicinales: de quibus in tit.
de Sent. excom. 2. Pœnas civiles: 3. Pœnas
vindictivas. Pœna civilis est ea, quæ in-
tendit privatam satisfactionem, non so-
lùm quando imponitur à Lege, vel à
Judice, & dicitur *Legalis*, & *Judicialis*;
sed quando à partibus convenitur de ali-
qua pœna solvenda, cap. 7. h. t. quæ con-
ventionalis dicitur: & quidem solvi de-
bet à parte non adimplente contractum,
cap. 4. de Arbitr. L. 14. C. de Pact. nisi forte
compensatione hæc obligatio cesset;
arg. C. fin. de Adulter. quia altera pars
contractui contravenit. *Gloss.* in cap. 7.
h. t. V. *Utramque.* Si pœna est individua
solvi debet integre, & si contractus ex
parte, non verò integre sit servatus. L. 5.
§. fin. ff. de V. O. Quando verò est divi-
duo, & contractus in aliqua parte nota-
bili non est servatus ex aequitate debet
minui pœna proportione habita ad par-
tem debiti, cap. 9. h. t. *Sarm.* lib. 5. *Se-
lectar.* cap. 6. n. 11. *Barbos.* in cap. 9. h. t.
Si pars, cui pœna conventionalis debetur,
eam non petat, creditur velle, eam
condonare, seu remittere: ac proinde
debitor non tenetur tunc eam solvere.
Omninò verò obligatur in conscientia,
quando pars petit, nec ad hoc est nec-
essaria Judicis sententia cum ita con-
tractum videatur. *Suar.* de Legib. lib. 5.
cap. 6. n. 7. *Covarr. Molin.* & alii contra
Navar. Samb. Less. & alios. Pœna vindic-
tativa, quæ propriis pœna est, non à
potestate privata ad vindictam exercen-
dam, sed à potestate publica debet pro-
venire, & ex fine quidem honesto, scilicet,
vel ut delinquens emendetur, vel
saltem, ut alii terrore supplicii non de-
linquant. Et quidem debet servari prop-
ortio arithmetica, & æqualitas pœnæ
ad culpam, sicut in aliis actibus justitiæ
commutativæ. Debent tamen attendi cir-
cunstantiæ delinquentium: nam pœna,
quæ respectu servi, & plebeji est levis,
respectu ingenui, vel nobilis est gravis.
Ideò jubentur severius castigari servi,
quam ingenui in L. 10. L. 28. §. fin.
ff. h. tit.

320 Et quidem semper debet præce-
dere culpa, ut imponatur pœna: & re-
gulariter debet esse culpa illius, qui pu-
nitur, cap. 22. h. t. potest tamen accide-
re, quod quis sine culpa propria punia-
tur, sic causa publica exigente, cap. 23. de
Reg. jur. in 6. ut scilicet alii terrore per-
cussi, difficilius crimina atrociora com-
mittantur. Sic pœna ob crimen hæresis, &

& læsæ Majestatis in aliquem statuta tran-
sit de parentibus ad filios, cap. 10. cap. 15.
de Hæret. in 6. L. 5. §. 1. C. ad Leg. Julianam
Majest. L. 9. tit. 31. p. 7. Et Episcopum
occidens amittit quidquid habet ab Eccle-
sia, & ejus liberi, usque ad quartam ge-
nerationem accentur ab Ecclesia, & be-
neficiis illius, cap. 10. cap. 12. h. t. Si com-
munitas aliqua, licet non tota, sed tan-
tum major ejus pars delinquat, quia ma-
jor pars totam communitatem represen-
tat, tota potest puniri. Ita jubet Domi-
nus delere urbem, ac omnia, quæ in illa
sunt, usque ad pecora, ob delictum ali-
quorum. *Deut.* 13. ex vs. 15. non tamen
possunt innocentes in vita, vel membris
puniri: nam in hæc non habet Respubli-
ca potestatem, ut habet in bona suorum
subditorum. Quando verò aliqui particu-
lares alicujus Civitatis delinquant, ipsi
tantum puniendi sunt. L. 7. §. fin. ff. de
Jurisd. vel aliqui ex ipsis, quo sors de-
signet. *Novel.* 30. cap. 11. ut in militibus
transfugis quotidie fit. Si tamen omnes
deliquerint, ut in seditione, vel tumultu,
solum motores principales capite, cæ-
teri verò mitius plectuntur; v. g. in bo-
nis fortuna, cap. 5. §. 9. q. 1. *Ubi enim mul-
torum strages jacet, ibi subtrahendum est
aliquid severitati, ut addatur amplius
charitati.* Aliquando potest Civitas des-
trui, vel domus alicujus, quando gravis-
simum delictum est; v. g. contra Regem,
debentque domus, & ædificia demoliri,
& solum aratro proscindi, & sale conspergi,
vel manu militari comburi. *Gom. Var.* 3. cap. 1. ex n. 52. *Hev.* in Curia *Philip.*
p. 3. §. 9. n. 1. Et potest communitas
in his casibus dissolvi. L. 2. tit. 2. lib. 8.
R. C. ibi: *O por que quando algun grave, y
detestable crimen es cometido por algunos de
algun Colegio, ó Universidad, es razon que
el tal Colegio, y Universidad sea disuelto,
y aniquilado, y los menores por los mayo-
res, y los años por los otros sean puni-
dos, &c.* Et sic fuit deletus Ordo Milli-
tariæ Templariorum in Concilio Viennen-
si: & Jacobus de Molay totius ordinis
Magister fuit Parisiis vivus fiammis ad-
dictus anno 1313. *Ludov. Mover.* in suo
Diet. Hist. V. *Templiers.* Nunquam ta-
men in foro externo punitur delictum
merè internum, cap. 14. cap. 20. de Pœnit.
D. 1. Hoc enim solum Deo habet ulto-
rem. At verò conatus aliquo jam opere
externo significatus puniri debet: & qui-
dem regulariter pœna extraordinaria; nisi
quando aliter in jure expressè disponitur,

& jam de aliquibus casibus dicimus. L. 2.
tit. 31. p. 7. & *ibid.* *Greg. Lop.* L. 1. tit. 21.
lib. 8. R. C. & *ibid.* *Aceved.* & alii.
321 Pœna vindictiva variè dividi-
tur: nam 1. Alia est *capitalis*, alia non
capitalis. *Capitalis* est ea, quæ reum puni-
t mortem; vel naturale, quæ ultimum
supplicium dicitur. L. 21. ff. h. t. vel ci-
vili: quæ scilicet vel libertas, vel jus
civitatis amittitur, ut damnatio ad me-
tallum, vel deportatio. L. 14. ff. h. t. sed
hodie talis est damnatio ad triremes.
Non capitalis est, quando salva libertate,
& civitate, quis punitur: quod si in cor-
pore, ut membris abscisione, fustigatio-
ne, vel incarceratione, & aliis dicitur
corporalis. Alia verò existimationem, &
famam depriment, & infamiam irrogant.
Alia delinquentem in bonis fortunæ puni-
unt, quibus aliqua multa pecuniaria,
non parti, sed fisco applicatur, & dicuntur
pecuniariæ: 2. Alia est *ordinaria*, alia
extrordinaria, seu *arbitraria*. Ordinaria
est ea, quæ definitur, & taxatur, à jure,
vel consuetudine. Et hæc aliquando ipso
jure, seu ipso facto incurritur, quando
ita à jure exprimitur, adeò ut antequam
Judex sententiam proferat, incurritur.
Aliquando autem est necessaria Judicis
sententia condemnatoria, ut ea incurra-
tur. *Extraordinaria*, seu *arbitraria* est,
quæ nullo jure, vel consuetudine præ-
scribitur, sed arbitrio Judicis infligenda
relinquitur, secundum circumstantias deli-
cti, personæ, loci, temporis, &c. *Suar.*
de Legib. lib. 5. cap. 7. 3. Alia est *perso-
nalis*, quæ scilicet tantum persona affli-
gitur; v. g. incarceration, fustigatio, &c.
Alia *realis*, quæ persona in bonis tantum
plectitur; v. g. multa pecuniaria, priv-
vatio beneficii, &c. Alia *mixta*, quæ
utramque complectitur, ut relegatio, in-
terdictum: 4. Alia est *positiva*, quæ scilicet
factum, vel actionem alicujus, vel
ipsius delinquentis, vel alterius requirit
ad sui executionem, ut incarceration,
multæ solutio, exilium, fustigatio, &
aliæ similes. Alia est *privativa*, quæ scilicet,
sine facto, vel actione, vel delin-
quentis, vel alterius privat aliquo jure,
vel re, ut iritationes actuum, inhabi-
litates, irregularitates, censuræ: 5. Alia
est *sententia ferenda*, quæ scilicet, non
fertur à Lege, sed ferenda est à Judice
cum causæ cognitione. Alia est *sententia
lata*, quæ scilicet, jam est lata ab ipsa Lege
sine alterius ministerio. Hæc omnia atten-
tè circumspecti debent, quando in aliqua
Le-